Sit omnibus notum. Ego Simon de Biure domicellus filius et heres venerabilis Arnaldi de Biure quondam militis attendens me per me et meos vendidisse ad imperpetuum et titulo et ex causa vendicionis concessisse venerabili domine Ermessendi dei gratia abbatisse
monasterii sancti Danielis Gerunde et eius monasterio et successoribus suis in eo decimam parrochie et decimalis sancti Juliani de Gallinariis videlicet de expletis frumenti ordei milii leguminum carnium et aliorum expletorum et de lana carnatico et aliis de quibus prestari
et prestari consuevit decima in parrochia supradicta precio videlicet decem milium ducentorum quinquaginta solidorum barchinonensium de terno cum instrumento confecto die presenti in loco de Sancta Leocadia de Gerunda in posse notarii subscripti volens dictam dominam abba-
tissam et suum monasterium habere realem et vacuam possessionem seu quasi dicte decime cum ego ad ipsam possessionem tradendam non possim comode personaliter accedere aliis negociis occupatus. Igitur gratis et ex certa sciencia et consulto de iure meo facio constituo
et ordino certum et specialem procuratorem meum vos Raymundum Minores de Valle sancti Danielis Gerunde licet absentem tamquam presentem. Ad mittendum et inducendum seu per Guillelmum de Cumba de Villamulorum baiulum dicte decime faciendum mitti et induci dictam
dominam abbatissam vel in eius nomine et pro ea Petrum Bingarii de Casanova civem Gerunde eius procuratorem vel quem loco dicte domine abbatisse voluit in possessionem vel quasi possessionem vacuam tam iuris videlicet quam facti de dicta decima. Et in
signum possessionis et pro possessione predicte decime accedendum ad locum et parrochiam de Gallinariis et ad domum in qua dicta decima congregatur seu est solita congregari. Et tradendum seu tradi per dictum Guillelmum de Cumba baiulum dicte decime faciendum
dicto procuratori dicte domine abbatisse nomine dicte abbatisse et sui monasterii bladum frumenti lanam et alia que vobis tradenda sibi videbuntur in signum possessionis et pro possessione dicte decime. Et mandandum dicto baiulo dicte decime et hominibus et personis
qui vobis ad prestacionem dicte decime tenentur quod dicte domine abbatisse et suo monasterio predicto et successoribus suis in eo vel cui seu quibus voluerint decetero perpetuo respondeant pareant et satisfaciant de fructibus et iuribus dicte decime et de dicta decima
que michi et meis tenebantur et teneri poterant ante dictam vendicionem. Et faciendum fieri de hiis omnibus que agetis super premissis et dicte domine abbatisse vel suo procuratori tradendum publicum instrumentum seu publica instrumenta. Et generaliter omnia alia
et singula in premissis et circa premissa et ex eis dependentibus seu eam tangentibus quoquomodo libere faciendum procurandum et exercendum que in eis necessaria fuerint decernenda et modo quolibet oportuna et que ego met possem facere personaliter constitutus etiam
si mandatum exigerent speciale. Ego enim promitto in manu et posse notarii subscripti tamquam publice persone nomine omnium quorum interest et intererit stipulantis et paciscentis et sponte iuro per deum et eius sancta quatuor evangelia corporaliter tacta predicta omnia et quicquid per vos
dictum procuratorem meum actum gestum et factum fuerit super premissis rata grata et firma habere tenere et servare et non contravenire racione minoris etatis vel aliqua racione iure vel causa virtute cuius iuramenti renuncio iuri minoris etatis et omni in contrarium venie-
nti. Actum est hoc in loco de Sancta Leocadia de Gerunda die tricesima marcii anno a nativitate domini millesimo trecentesimo sexagesimo octavo. Sig+num Simonis de Biure predicti qui hoc firmo et laudo predictaque iuro.
Testes huius rei sunt venerabiles Jacobus de Cornelliano miles et Berengarius Cavallerii de Bisulduno.

Sig+num Raymundi de Brugia [illegible] auctoritate regia notarii publici per totam terram et dominacionem illustrissimi domini regis Aragonum qui premissis una cum dictis testibus vocatus interfui et hoc scribi
feci et clausi cum raso et emendato in penultima linea ubi dicitur ...

30-V-1368

Nº 918

Procura fa Simon de Biure donsell a Ramon Miralles de S.t Daniel per dar possesio al convent de S.t Daniel del delme de Sallavers. T. 165 y 500

N. 9

771